

ob delictum, damnatamque memoriam abominabantur. Sic de Tiberio Tranquillus scribit c. VI. *Post reditum in urbem a M. Gallio senatore testamento adoptatus, hereditate adita, mox nomine abstinuit: quod Gallius aduersarum Augusto partium fuerat.* Perduellis erat Gallius, eiusque adeo nomen, quod, adita hereditate, primum tulerat Tiberius, Gallio perduellionis condemnato, ut famosum atque abominandum, salua hereditate, mox repudiauit. Quid si vero heres sub hac conditione restituere rogatus tanta nominis sui retinendi cupiditate flagret, quanta testatoris fuit nomen suum ad posteritatis memoriam propagandi, nec quidquam excusationis ab inuidia nominis vel turpitudine petere possit, neque adeo praetor conditionem remittat; an tunc impleta conditione adire et restituere cogitur? Non ita Caio, auctoritate Iuliani permoto, visum est. Itaque sic statuit: *sed tamen si recuset nomen ferre, remittenda est ei conditio, ut Iulianus ait, et permittendae utiles actiones: aut bonorum possessio secundum tabulas danda est, uti uactus actiones transferat eas ex senatus consulto.* Pro permittendae, contra omnem sensum, Vulgata habet, *remittendae.* Conditionem quidem remittendam esse dicit: actiones vero remitti non possunt, sed, remissa conditione, utiles permittendae sunt: alioqui nullas nancisci, neque adeo transferre potest. Sed quaenam est ratio, cur Iulianus, eumque secutus Caius noster, praetore conditionem nominis exigente, heredi fiduciario, si recuset nomen ferre, nihilo minus remittendam esse censent? Sane eadem, qua

C

com-